

IUSTA AUTONOMIA ET EXEMPTIO INSTITUTORUM RELIGIOSORUM: FUNDAMENTA ET EXTENSIO

SUMMARIUM: Comprehensioni iustae autonomiae (c. 586) et exemptionis (c. 591) institutorum religiosorum haud dubio sequentia multum prosunt: visio Ecclesiae ut organicae communio-
nis hierarchicae, cuius fundamentalis structura est charismatica-
institutionalis; consideratio peculiaris naturae institutorum vitae
consecratae et eorum positionis in structura Ecclesiae; clarificatio
relationis Ecclesiam universam inter et particularem atque munus
Romani Pontificis inter et illud episcoporum; fons iustae autono-
miae omnium institutorum et exemptionis aliquorum eorum.

I. *Ecclesia ut organica communio hierarchica*

Ecclesia est *communio* quia apparet sicut «*de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata*» (LG 4b). Vera quoad dignitatem et actionem aequalitas inter christifideles omnes, nititur in communi participatione, per baptismum, muneris Christi sacerdotalis, prophetici et regalis, ita ut, christifideles, in populo Dei constituti, ad aedificationem Corporis Christi cooperentur et missionem, quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concedidit, exercent (cc. 204, § 1; 208; LG 31a; 32b.c.d.; AA 2b; GS 29a). Qua ratione habentur in Ecclesia officia et iura communia omnibus christifidelibus (c. 96). Tamen omnis christifidelis exercet missionem Ecclesiae a Deo conceditam, secundum propriam cuiusque condicionem et munus, propter diversa dona charismatica et ministeria (cc. 204, § 1; 208).

Ecclesia, enim, est communio organica, quia varia sunt dona Spiritus, ideoque varia sunt suorum membrorum ministeria et functiones, quae a Spiritu procedunt et eodem perficiuntur (LG 7 c.f.h.). Textus magni momenti in LG 12 b invenitur:

«Spiritus Sanctus non tantum per sacramenta et ministeria populum Dei sanctificat et ducit eumque virtutibus ornat, sed dona sua «dividens singulis prout vult», (1 Cor. 12,11) inter omnis ordinis fideles distribuit gratias quoque speciales, quibus illos aptos et promptos reddit ad suscipienda varia opera vel officia, pro renovatione et ampliore aedificatione Ecclesiae proficua... Quae charismata, sive clarissima, sive etiam simpliciora et latius diffusa, cum sint necessitatibus Ecclesiae apprimè accomodata et utilia, cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt».

Diversitas charismatum efficit diversitatem inter membra Ecclesiae, manente eorum aequalitate fundamentali (c. 208)¹. Omne charisma, quia est donum non tantum personae sed et Ecclesiae factum, exerceri debet ut servitium in Ecclesia suis membris praestandum; qua ratione genuinitas et ordinatus usus omnis charismatis, tum personalis tum collectivi, tum ordinarii tum extraordinarii, auctoritatis iudicio subici debet, cuius munus, propter speciale donum Spiritus, est varia charismata probare et Spiritum non extinguere (LG 12d).

Charismata collectiva, quae ab auctoritate ecclesiastica agnoscuntur, canonicè institutionalizantur et ministeria vel formas stabiles vitae gignunt. Hoc modo Ecclesia ex variis ordinibus personarum confla-

¹ Cf. S. CONGR. PRO RELIG. ET INST. SAEC., Notae dir. *Mutuae Relationes* (= MR), 14 maii 1978, in AAS 70 (1978) 473-506, nn. 1 et 2.

tur, qui complectuntur omnes eos qui idem donum Spiritus recipiunt, idem ministerium in Ecclesia exercent, iisdem officiis tenentur et iisdem iuribus gaudent (LG 13c). Quod monstrat Ecclesiae structuram fundamentalem esse charismaticam-institutionalem²: tot sunt ordines, quot in Ecclesia sunt functiones et ministeria stabilia canonice institutionalizata. Tres sunt categoriae vel ordines generales personarum in Ecclesia: laicorum, ministrorum sacrorum, eorum qui, in forma stabili vitae canonice agnita, tria consilia evangelica profitentur (LG 12c; 31b). Quia, tamen, vita laicalis, ministerialis et consecrata, in abstracto non existunt, sed semper in concreto iuxta munera in Ecclesia exercita, tales categoriae et ordines personarum, secundum varia Spiritus dona, in variis ordinibus particularibus actuantur. Clare dicendum est etiam ordinem hierarchicum, qua talem, originem charismaticam habere, et in structura charismatica-institutionali Ecclesiae, praesertim in gradu pontificatus supremi et episcopatus, praeeminens et peculiare officium exercet, fidem praestandi de authenticitate verbi Dei in Ecclesia nuntiati, de veritate sacramentorum celebratorum, de bonitate viae ad sanctitatem prosequendam indicatae. Qua ratione ad auctoritatem ecclesiasticam

² Falsum est charisma institutioni opponere, immo institutionem cum hierarchia simpliciter confundere. Institutio est aliquid immanentis charismati, quia ex Spiritu procedunt tum donum tum officia et iura cum eo connexa; postea habetur interventus Ecclesiae, cum auctoritas charisma approbat, et leges fert ut idem recte exerceatur, in iurium agnitione et officiorum adimplentione. Hoc modo institutio charismati immanens fit institutio canonica, sed Ecclesia neque charisma neque institutionem qua talem creat (cf. meum articulum *Ecclesialità della vita consacrata*, in AA.VV., *La vita consacrata* [Coll. *Il Codice del Vaticano II*, curante A. Longhitano], Bologna 1983, 16-21).

iudicium de genuinitate charismatum deque eorum ordinato exercitio pertinet, ad bonum totius corporis ecclesialis tuendum et promovendum.

Quia Ecclesia est communio organica, est et hierarchica, id est hierarchice organizzata (*MR* 4). Communio fidelium, caritate animata et organice structurata (*NEP* 2), quae plene Ecclesiae mysterium manifestat, subsistit in Ecclesia catholica, a successore Petri et ab episcopis in eius communione gubernata (c. 204, § 2).

Etsi communio hierarchica per se definiatur relate ad Episcopos (*LG* 21b; *NEP* 2; 4; *CD* 4a; 5; cc. 375, § 2; 336), presbyteros (*PO* 7a; 15b; cc. 273; 519), et diaconos (*LG* 29a; *CD* 15a; c. 273), tamen reductive contineri non potest intra limites ordinis eorum qui in ministerio sacro sunt: ut corpus organicum Ecclesiae unum maneat, differentes functiones exercendae sunt in variis ordinibus hierarchice structuratis, circa ordinem ministrorum sacrorum, quorum officium est efficere unitatem totius communionis ecclesialis in dimensione universali (Romanus Pontifex et Collegium Episcopale: *LG* 13c; 18b; 22b; *NEP* 3; *UR* 2c; *AG* 22b; 38a; cc. 331; 336), particulari (singuli episcopi: *LG* 23a; c. 369), et locali (presbyteri: *LG* 28b.d; *PO* 6a; cc. 515, § 1; 519)³. Quod servitium, unitatem in pluralitate charismatum et ministeriorum servandi, exercendum est in tuendo et promovendo peculiarita-

³ Cf. J. BEYER, *De novo iure circa vitae consecratae instituta et eorum sodales quaesita et dubia solvenda*, in *Periodica* 73 (1984) 419-420. Quoad notionem communionis hierarchicae, cf. meum articulum *Chiesa universale, particolare e locale nel Vaticano II e nel nuovo Codice di Diritto Canonico*, in AA.Vv., *Vaticano II - Bilancio e prospettive: venticinque anni dopo 1962-1987* (curante R. Latourelle), Assisi 1987, 839-858.

tem uniuscuiusque charismatis et functionis (*CD* 16e; *PO* 6d; 17; cc. 214; 215; 216; 385; 529, § 2; 605). Quod manifestat caritatem in qua nititur ipsa communio inter omnes baptizatos ad omnes categorias et ordines spectantes. Relationes iuridicae, legibus sancitae, priore actione Spiritus, qui varia dona dispensat, determinantur et exercitium caritatis postulant. Caritas efficit unionem inter fideles omnis ordinis et categoriae et pastores, necnon inter pastores ipsos, in varios ordines distributos. Quae caritas subordinatorem hierarchicam exigit omnium christifidelium, tum laicorum tum consecratorum, pastoribus a Christo praepositis.

II. *Vita consecrata in Ecclesiae structura*

Vita consecrata, — ut stabilis vivendi forma qua nonnulli fideles, Christum sub actione Spiritus Sancti pressius sequentes, consilia evangelica per vota aut alia sacra vincula profitentur ad caritatis perfectionem consequendam (*LG* 44a; c. 573) —, iure divino ad Ecclesiae structuram charismaticam-institutionalem pertinet, quia: a) vita consecrata in seipsa in verbis atque exemplis Domini fundatur, et ab eis originem ducit; b) ab Apostolis et Patribus Ecclesiaeque doctoribus et pastoribus commendatur; c) consilia evangelica sunt donum divinum quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia eius semper conservat (*LG* 43a; *PC* 1; cc. 573-575)⁴. Ut sit Ecclesia a Fundatore suo volita, semper in ea aliqua forma consecrationis per professionem consiliorum evangelicorum erit, etsi variae institutionales formae per tempus mutantur.

⁴ Cf. J. BEYER, *De novo iure*..., 418.

Vita consecrata, in quantum Ecclesiae mysterio speciali modo coniungitur, ad eius vitam et sanctitatem inconcusse pertinet, eiusdemque missioni salvificae prodest, quae secus plene non manifestetur et actuetur (*LG* 44b.d; 43b; *AG* 18a.d; cc. 207, § 2; 574). Quod fluit ex eo quod vita consecrata ad essentiam Ecclesiae pertinet.

Clare tenendum est vitam consecratam a Deo procedere et non ab Ecclesia, quia est donum a Deo, quod Ecclesia accipere et conservare debet (*LG* 43a; c. 575).

Origo consecrationis est divina vocatio (*LG* 39; 43; *PC* 1a.c; c. 574, § 2), qua persona, charismate peculiari (*LG* 44b; *PC* 1b; cc. 603; 604; 576) locupletata et gratia roborata, per primum a Deo novo et speciali titulo consecratur⁵. Huic divinae consecrationi persona respondet, cum se Deo consecrat oblatione conscia et responsabili (*LG* 44a; 46b; *PC* 1c; 2e; c. 573, § 1). Tertium elementum consecrationis est interventus Ecclesiae per liturgicum ritum, in quo Ecclesia consecrationem personae accipit et firmat, characterem publicum ei ferendo per auctoritatem quae vota vel alia sacra ligamina recipit. Consilia evangelica, tamen, semper iuxta charisma et ius proprium instituti assumuntur (*LG* 44a; 45c; *PC* 5b; cc. 573, § 2; 598; 600-602; 654). In actu liturgico, ut actu Ecclesiae, actio Dei et actio personae concurrunt, in quantum Ecclesia est locus in quo mirabile connubium a Deo conditum manifestatur (c. 607, § 1).

⁵ Verbum «consecratur», quod in *LG* 44a invenitur, est forma passiva et «a Deo» subintelligitur, ut commissio doctrinalis in Concilio declarabat, cum ad Modum 24 responderet (cf. *Acta Synodalia* III/VIII, 131; A. DE BONHOME, *Estne consecratio per consilia nova consecratio?* - *Sententiae et argumenta*, in *Periodica* 67, 1978, 374-390).

Quoad instituta, Ecclesia intervenit in interpretando consilia evangelica et in eorumdem praxim per leges moderando, in decernendo charismata fundatorum (c. 605), in approbando novam foundationem et regulam vitae seu constitutiones (*LG* 45a; cc. 576; 587). Omne, tamen, instituti charisma collectivum natura sua exigit ut iuxta modum suum peculiare et exclusivum, in constitutionibus a fundatore statutum, actuetur. Ecclesia curat ut charisma in sua genuinitate maneat, nisa in priore approbatione constitutionibus lata.

Praeterea animadvertere debemus, etsi prima approbatio in ambitu dioecetano fiat, ut in maiore numero casuum, eam pondus universale habere, quia omni et toti Ecclesiae charisma donatur. Quod duobus rationibus affirmamus: nota vere ecclesialis institutorum expansione extra dioecesim originis manifestatur, quod historia ipsorum institutorum probatur; episcopus, porro, institutum approbat, non tantum ut pastor suae Ecclesiae, sed etiam ut Collegii Episcoporum membrum. Charisma instituti in Ecclesia particulari nascitur pro Ecclesia universali, quae in Ecclesiis particularibus et ex eis existit (*LG* 23a; c. 368). Episcopus dioecetanus impedire non potest quin instituta in alias dioeceses diffundantur et a Summo Pontifice approbentur. Ipse character universalitatis variorum institutorum charismatum valide prodesse potest communioni inter Ecclesias, quae ceterarum Ecclesiarum necessitatibus se aperire debent⁶.

Ex dictis de structura charismatica-institutionali Ecclesiae ut communionis hierarchicae organice

⁶ Profundior investigatio de hac re inveniri potest in F. VIEN, *Charisme et vie consacrée*, Roma 1983, 193-245; et in meo articulo iam citato *Ecclesialità della vita consacrata*, 28-44.

structuratae atque de origine charismatica ac de positione vitae consecratae in illa structura eruitur primum fundamentum principii, in Codice sollemniter enuntiati: ad omnia instituta vitae consecratae spectat iustam habere autonomiam vitae, praesertim regiminis, qua ea gaudeant in Ecclesia propria disciplina, atque integrum servare valeant suum patrimonium, id est fundatorum mentem atque proposita a competenti auctoritate ecclesiastica sancita circa eorum naturam, finem, spiritum et indolem⁷; ordinarii locorum hanc autonomiam servare ac tueri debent (cc. 586; 578).

Cum dicitur de autonomia vitae, praesertim regiminis, ut in c. 586 enuntiatur, in ordine ad instituti charismatis conservationem, ea referri nequit ad solam vitam internam instituti, sed, si agatur de instituto operibus apostolatus dedito, etiam ad ista referri debet; secus enim institutum suum finem secundum spiritum proprium non prosequeretur (*MR* 11b.c.; 13c). Eo quod instituti autonomia sub omnibus re-

⁷ Omnes hi termini respondent ad verbum «charisma», quo Codex, pro dolor, numquam utitur. Schemate 1980 hoc verbo adhuc utebatur in cc. 506, 516, § 3, 557, § 1, 634, 643, § 3, 648, § 2, quod in cc. 577, 588, § 3, 631, § 1, 708, 717, § 3, 722, § 2, CIC 1983 substituitur verbis «donatione», «natura, indole, fine», «patrimonio», «indole proprioque spiritu», «spiritu», «fine, spiritu et indole», dum in cc. 716 et 722 diparet. *Natura* instituti indicat genus ad quod pertinet, ex. g. instituta religiosa aut secularia; *indoles*, vero, speciem intra genus, ex. gr. inter instituta religiosa, quae integre ad contemplationem ordinantur ab iis quae operibus apostolatus dedicantur distincta sunt, iuxta iuris proprii determinationes; *finis* significat scopum ad quem prosequendum institutum natum est: contemplationem, vel peculiare opus apostolatus, vel testimonium discretum in mundo (institutum saeculare), ecc.; *spiritus* vel *spiritualitas* dicit modum participationis in Christi mysterio, ideoque modus relationis cum Deo et agendi pro bono fratrum in Ecclesia.

spectibus iure proprio protegitur, coordinatio requiritur inter ius commune et ius proprium, quod, per approbationem ab auctoritate ecclesiastica, in totalitate ordinis iuridici canonici partem habet.

Autonomia vitae est ius nativum instituti, imprimis ex sua origine charismatica fluens, et variis gradibus iuxta naturam peculiarem charismatis foundationis atque pondus ac incrementum in vita Ecclesiae actuat. Autonomia instituti eiusque dependentia ab auctoritate ecclesiastica mutue implicantur, sed eorum relatio mutatur, si agatur de instituto iuris dioecesani vel iuris pontifici vel exempti. Duae dimensiones vitae cuiuscumque generis instituti, autonomia et dependentia, inter se congruere possunt tantum per leges inspiratas caritate, quae est suprema lex communionis ecclesialis.

III. *Natura potestatis in institutis exercitatae et eorum autonomia*

Alterum fundamentum autonomiae vitae et regiminis institutorum invenitur in natura potestatis regiminis, qua in eis superiores et capitula gaudent.

Problema de natura potestatis in institutis vitae consecratae est valde complexum, sicut problema de origine et natura potestatis ecclesialis in genere. Quoad problema generale de potestate sacra in Ecclesia et iter formationis canonum circa potestatem in institutis vitae consecratae remitto ad meum praecedens scriptum⁸.

De quaestione sequentia hic affirmari valent.

1) Dum in CIC 1917 tantum instituta religiosa

⁸ *De natura, origine et exercitio potestatis regiminis iuxta novum Codicem*, in *Periodica* 74 (1985) 109-164 (praes. 143-144).

exempta societates publicae de iure considerabantur, quia eis solis potestas iurisdictionis ecclesiasticae pro foro externo atque interno tribuebatur, cetera instituta vero societates privatae de facto aestimabantur, in quantum eis sola potestas dominativa agnoscebatur (c. 501, § 1); in CIC 1983, e contra, omnia instituta vitae consecratae, sine distinctione, societates publicae considerantur. In CIC 1983, enim, potestas quae, iuxta cc. 596, § 1, 617, 618, 622, 631, §§ 1, 2, superiores et capitula omnium institutorum vitae consecratae gaudent, consideratur, ut expressis verbis declarabat ipsa commissio in relatione pro Plenaria 1981⁹, potestas publica, ideoque dominativa non appellatur, et dicitur a Deo recipi per ministerium Ecclesiae (c. 618). Est potestas ecclesialis, quia est participatio potestatis in Ecclesia. Quod nititur in doctrina et legislatione post CIC 1917¹⁰.

⁹ Cf. *Comm* 15 (1983) 64.

¹⁰ Iam ab anno 1934 Larraona characterem publicum omnium congregationum religiosarum et potestatem in eis exercitam iurisdictionem inchoatam appellabat. Alii auctores, ut Vermeersch, Creusen, Kindt eandem doctrinam tenebant. Can. 305 partis CICO anno 1952 promulgatae (cf. M.P. *Postquam Apostolis*, in *AAS* 44, 1952, 144-145), qui canon respondebat ad c. 145 CIC 1917, affirmabat officium ecclesiasticum secumferre praeter aliquam participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis, etiam participationem alius publicae ecclesiasticae potestatis. Nisus in responsione die 26 mar. 1952 a Commissione pro interpretatione authentica CIC lata, quae applicabat cc. 197, 199, 206-209 CIC 1917 potestati dominativae, de qua in c. 501 § 1 CIC 1917, c. 153 partis CICO anno 1957 promulgatae (cf. M.P. *Cleri sanctitati*, in *AAS* 49, 1957, 476) applicabat illi potestati publicae ecclesiasticae, de qua ipse CICO loquebatur in c. 305, totam normativam de iurisdictione ecclesiastica in capite «De potestate ordinaria et delegata» contentam.

Rescriptum *Cum admotae* die 6 nov. 1964 (cf. *AAS* 59, 1967, 374-378) superioribus generalibus institutorum clericalium tum

2) Tum quia iuxta c. 596, § 3 potestati quae superiores et capitula omnium institutorum gaudent, de qua agitur in § 1 eiusdem canonis, applicantur cc. 131, 144 et 137-144 potestatem regiminis seu iurisdictionis ecclesiasticae ordinariam et delegatam regulantes, tum quia in Ecclesia potestas una est, affirmari valet potestatem ecclesiam in institutis exercitam esse eiusdem naturae ac potestatem regiminis ecclesiastici. Est potestas Christi super eos qui per idem Spiritus donum in eodem instituto uniuntur, quae confertur ab auctoritate hierarchica, in ipso actu approbationis instituti eiusdemque constitutionum, prout necessaria est ad bonam gubernationem instituti, iuxta cuiusque naturam propriam (cc. 617; 618).

Hac de re superioribus et capitulis institutorum laicalium, tum iuris dioecesei tum iuris pontificii, clericalium iuris dioecesei et saecularium etiam iuris pontificii, potestas regiminis confertur ab ipso iure, id

religiosorum tum saecularium et societatum vitae communis iuris pontificii delegabat multas facultates, quae antea institutorum exemptorum propriae erant. Quo modo delegabatur potestas iurisdictionis ecclesiasticae superioribus generalibus omnium horum institutorum et societatum. Postea, per Decr. *Religionum laicalium*, diei 31 maii 1966 (*Ibid.* 362-364), per litteras circulares S. Congr. de Propaganda Fide, diei 7 sept. 1967 (cf. *Enchiridion Vaticanum*, t. 2, 370-375) et per Decr. S. Congr. pro Religiosis et Institutis Saecularibus *Cum Superiores Generales*, diei 27 nov. 1969 (cf. *AAS* 61, 1969, 738-739), delegabantur superioribus institutorum religiosorum laicalium, tum mulierum tum virorum, nonnullae facultates, quae ad normam CIC 1917 Sanctae Sedi pro institutis iuris pontificii vel ordinario loci pro illis iuris dioecesei reservabantur, ut facultas saecularisationem concedendi religiosis votorum temporarium, secumferens ipso facto cessationem votorum. Pro tota quaestione, cf. J.L. GUTIERREZ, *Dalla potestà dominativa alla giurisdizione*, in *Eph. Iur. Can.* 39 (1983) 76-94; J. BEYER, *Le droit de la vie consacrée: Normes communes*, Paris 1988, 107-124.

est a Codice, ideoque a Suprema Auctoritate Ecclesiae, gradu natura et fine instituti determinata (c. 596, § 1). Hoc valet etiam pro superioribus institutorum laicalium; quia, si laici in genere recipere possunt officia quae secumferunt exercitium potestatis regiminis ecclesiastici, dummodo ne sint officia stricte clericalia, id est officia quae receptionem ordinis sacri tamquam condicionem sine qua non exigant (cc. 129, § 2; 228, § 1)¹¹, non videtur cur superiores et capitula institutorum laicalium recipere non possint potestatem regiminis ecclesiastici necessariam ad bonam gubernationem instituti.

Superiores, insuper, et capitula institutorum clericalium iuris pontificii, potestatem per ministerium Ecclesiae recipiunt, quae in c. 596, § 2 technice appellatur regiminis ecclesiastici, pro foro tam externo quam interno. Quae instituta, ratione exercitii ministerii sacerdotalis a suis sodalibus, in genere magnum pondus pastorale in Ecclesia habent; et eorum superiores, ordinariis locorum assimilati, ordinarii sunt et partes sunt Ecclesiae structurae hierarchicae (c. 134, § 1). In his institutis clericalibus autonomia pervenit ad gradum superiorem quam in institutis laicalibus, etiam iuris pontificii, vi eorum naturae clericalis et amplioris participationis in potestate regiminis in Ecclesia.

Instituta exempta, a Summo Pontifice, vi sui primatus, ab ordinariorum loci regimine subtrahuntur, et soli eius potestati vel alius auctoritati, ab eo ipso indicatae, subsunt (*LG* 45b; *CD* 35, 3; *MR* 22; c. 591). Quae instituta potestate regiminis in Ecclesia

¹¹ De hac quaestione, cf. meum articulum *De natura...*, 109-134.

gaudent, cuius amplitudo differt iuxta leges pontificias proprias vel privilegia, modo congruenti cum eorum charismate peculiari, a Romano Pontifice concessa, et iuxta eorum naturam clericalem vel laicalem. Cum ex exercitio primatus Romani Pontificis potestas ecclesiastica superiorum et capitulorum in institutis exemptis immediate procedat, eiusdem in iis participatio est plenior quam in institutis iuris pontificii non exemptis¹².

Gradualis participatio potestatis regiminis ecclesiasticae innuitur c. 134, § 1, qui affirmat superiores

¹² Cf. c. 25, § 3 Schematis 1977, in *Communicationes* 11 (1979) 305-306. Ad hoc die 11 febr. 1958 Pius XII, superioribus generalibus loquens, alludebat: «*In hac igitur parte nostri muneris vobis, dilectissimi filii, sive recto tramite, aliquid vobis per Codicem Iuris delegantes Nostrae Supremae iurisdictionis sive per ipsa Nobis probata Regulas et instituta vestra illius potestatis vestrae, quam dominativam appellant, fundamenta ponentes, vos socios Nostri supremi officii assumpsimus*» (AAS 50, 1958, 154). Pius XII, igitur, loquebatur ex una parte modo improprio de aliqua supremae iurisdictionis institutis exemptis a Romano Pontifice delegatione, quae e contra est proprie transmissio potestatis ordinariae, et simul, ex alia parte, de aliqua potestate dominativa in approbatione pontificia regularum et institutorum aliis institutis iuris pontificiis transmissa (cf. J. BEYER, *op. cit.*, 123). Sunt instituta exempta, ut ex. gr. Societas Iesu, quae originem suam habent in actu personali primatus Romani Pontificis, qui plenitudinem potestatis superiori generali et capitulis generalibus contulit, necessariae ad gubernium internum et externum-apostolicum instituti, ita ut tantum a Romano Pontifice immediate pendeant, ne a Congregationibus Romanis quidem. Quae instituta, igitur, a iure pontificio strictissimo sensu intellecto reguntur, quod ius proprium instituti efformat, iuxta quod in sua vita interna et externa institutum gubernatur (Cf. D. KAY, *Exemptio et ius Societatis Iesu* - Dissertatio ad lauream Romae publice defensa anno 1988 in Facultate Iuris Canonici Pontificiae Universitatis Gregorianaе, proximae editionis), 268-306.

maiores clericalium institutorum religiosorum iuris pontificii, qui sunt ordinarii, ordinaria potestate *saltem* executiva pollere. In hoc canone subintelligitur adesse superiores maiores, qui etiam potestate ordinaria legislativa et iudiciaria gaudent, ut in institutis exemptis, iuxta determinationes iuris proprii.

Hic dicta roborant affirmationem de autonomia vitae et regiminis omnium institutorum tamquam eorundem iure nativo (cf. c. 586, § 1). Quod ius ninitur non tantum in natura charismatica vitae consecratae qua talis, sed etiam, ab hac dependens, in natura potestatis in institutis exercitatae (MR 13). Ambitus autonomiae instituti et exercitii potestatis in eo exercitatae a charismate particulari et ab eius collocatione in Ecclesia pendet.

IV. *Ambitus et extensio autonomiae et exemptionis*

Iuxta c. 594, omnia instituta iuris dioecesanii, firmo canone 586, sub speciali cura Episcopi dioecesanii permanent. Animadvertendum est imprimis canonem denuo affirmare autonomiam omnis instituti iuris dioecesanii (c. 586, § 1), quam ordinarius loci servare ac tueri debet (§ 2): specialis cura, de qua in c. 594, consistit etiam in conservatione et tuitione instituti autonomiae. Episcopus dioecesanus efficere debet ut institutum, quod in genere in exordiis vitae suae est, sub respectu tum spirituali tum materiali augeatur¹³.

¹³ Magna invenitur mutatio mentalitatis in novo Codice, quia iuxta c. 492, § 2 CIC 1917 congregatio iuris dioecesanii, quamvis in plures dioeceses diffusa, Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris *plane subiecta* considerabatur. Nullus canon in CIC 1917 affirmabat autonomiam vitae, praesertim regiminis, tamquam principium spectans omnia instituta religiosa. Progressus perspectivae mutationis, inveniri potest in ipso itinere c. 594 (cf. M.G.A.

Indoles dioeclesana instituti huius relationem ad Ecclesiam universam non minuit; episcopus dioeclesanus, igitur, impedire non potest instituti in sua dioecesi orti diffusionem in aliis dioecesibus, usque ad pontificiam approbationem. Qua ratione c. 594 legi debet in connexione non tantum cum c. 586, sed etiam cum c. 590, iuxta quem, ex una parte, omnia instituta, sine distinctione, utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitium speciali modo dicata, supremae eiusdem auctoritati peculiari ratione subduntur, ita ut ipsa suprema auctoritas ultima fiat tuitio charismatis et autonomiae vitae et regiminis omnium institutorum; ex altera parte, singuli sodales institutorum Summo Pontifici, tamquam supremo eorum superiori, etiam ratione sacri vinculi oboedientiae parere tenentur¹⁴.

Instituta iuris pontificii, tum laicalia tum clericalia, iuxta c. 593, firmo praescripto c. 586, quoad regimen internum et disciplinam, immediate et exclusive potestati Sedis Apostolicae subiciuntur. Etiam in hoc canone, simili modo ac in c. 594, prima affirmatio est de autonomia vitae et regiminis, de qua in c. 586, § 1, quae affirmatur non tantum erga episcopos dioeclesanos sed etiam quadam ratione erga ipsam Sedem Apostolicam, quae eam servare ac tueri debet, ut in § 2 eiusdem canonis dicitur. Autonomia, tamen, congruere debet, quoad regimen internum et disciplinam, cum submissione S. Sedi, iuxta determinationes iuris.

Exemptio, quae est actus stricte primatialis Romani Pontificis, est maxima realisatio autonomiae et amplior est quam autonomia in c. 586 statuta. Exemp-

NWAGWU, *Autonomy and dependence of religious institutes of diocesan law on the local ordinary*, Roma 1985, 84-85).

¹⁴ Cf. *ibid.*, 85-87.

tio, sub respectu positivo intellecta, est institutum iuridicum quo Romanus Pontifex, per leges peculiares a seipso latas et per privilegia concessa, plenioram autonomiam tuetur ut charisma instituti melius servetur et exprimatur in sua indole universali necnon in sua efficacitate apostolica, tamquam participatione sollicitudinis pastoralis Romani Pontificis pro universa Ecclesia (MR 22a.c.d.). Leges pontificiae peculiares et privilegia ius proprium instituti exempti efformant, et tantum per actus Romani Pontificis revocari possunt (cf. c. 4).

Nullo modo affirmari potest exemptionem, qua ordines et congregationes sub regimine CIC 1917 gaudebant, nunc iam non vigere. Etenim, clare tenendum est sub regiminie CIC 1917 exemptionem institutorum: 1) modo generali cc. 615 et 618, § 1 praevideri; 2) normis communibus (cc. 616; 617, § 1; 621) regulari; 3) iure proprio, legibus pontificiis peculiaribus et privilegiis S. Sedis, constituto, determinari; dum nunc, sub regimine CIC 1983: a) modo generali c. 591 praevideri; b) iure proprio determinari. Cum omni instituto iusta autonomia interna et externa agnoscat (c. 586), Legislatores, congruenter cum spiritu novae legislationis, praevisa exemptione ut instituto generali in Codice, ad ius proprium remittit. Etenim, bene cavendum est exemptionem non vigere eadem amplitudine in variis institutis, quia pendet ab eorum differenti charismate, cui leges pontificiae et privilegia respondent. Ratione naturae, originis, et finis exemptio confundi non potest cum iusta autonomia quae, ut ius nativum, ad normam c. 586 omnia instituta respicit¹⁵.

¹⁵ Cf. J. BEYER, *Religious and Local Church*, in *The Way Supplement* 50 (1984) 97; *Le droit de la vie consacrée*, 96-97.

Praeter, etenim, fundamenta in quibus iusta autonomia omnium institutorum radicatur, exemptio niti-
tur in exercitio muneris primatialis Romani Pontifi-
cis, quod explicatur tantum in recta visione relationum
inter Ecclesiam universalem et Ecclesias particulares,
ideoque inter Romanum Pontificem et episcopos.

Romanus Pontifex, vi muneris sui suprema, ple-
na, immediata et universali in Ecclesia gaudet ordina-
ria potestate, quam semper libere exercere valet (c.
331), id est super omnes, sive pastores sive fideles,
ideoque super omnes Ecclesias particulares, eorum-
que coetus (c. 333, § 1; *LG* 22b). Romano Pontifici
ius est, iuxta Ecclesiae necessitates, determinare mo-
dum, sive personalem sive collegialem, sui muneris
exercendi (c. 333, § 2). Potestas primatialis Romani
Pontificis super omnes Ecclesias est immediata, quia
una et unica Ecclesia catholica, id est Ecclesia univer-
salis, in Ecclesiis particularibus et ex eis existit (c.
368; *LG* 23a). Ecclesia catholica universalis confede-
ratione variarum Ecclesiarum particularium non com-
ponitur, sed in omnibus his ea vere inest et operatur
(c. 369; *CD* 11a). Ecclesia particularis ab episcopo
gubernata, semper, igitur, referenda est ad Ecclesiam
universam quia in hoc ambitu existit. Portio populi
Dei, enim, est Ecclesia particularis, cum ad imaginem
Ecclesiae universalis efformetur (*LG* 23a), cum scili-
cet in ea omnia elementa essentialia naturae Ecclesiae
inveniantur et praeterea aliquod ex elementis acci-
dentialibus specificationis, prout sunt peculiaris por-
tio populi Dei, ritus, territorium¹⁶, determinata orga-

¹⁶ Territorium non est elementum specificationis necessa-
rium, quia dantur etiam Ecclesiae particulares personales ritu
fidelium vel alia simili ratione, ut ordinariatus militaris (c. 372, §
2; cf. GIOVANNI PAOLO II, Const. Ap. *Spiritali militum*, 21 apr.
1986, in *AAS* 78, 1986, 481-486).

na gubernii (cf. *CD* 11a; 369-372). Ecclesia in abstracto non existit, sed semper vel in sua dimensione universali, quae, cum sit communio omnium Ecclesiarum particularium, non est abstractio, vel in dimensione particulari aut locali, in qua inest et operatur Ecclesia universa, communio nempe omnium Ecclesiarum particularium. Qua ratione ecclesiologica episcopus munus suum in Ecclesia particulari ei concedita exercet ut membrum Collegii Episcopalis, id est in communione hierarchica cum Collegii capite et membris (*LG* 21b; c. 375, § 2). Iusta autonomia qua Ecclesia particularis gaudet est in ambitu eiusdem insertionis in Ecclesiam universalem, in communionem nempe cum omnibus aliis Ecclesiis particularibus. Quia Romanus Pontifex, ut successor Petri, est perpetuum ac visibile fundamentum unitatis, tum Episcoporum tum fidelium multitudinis, id est communionis inter omnes Ecclesias, (*LG* 23a), pro bono totius Ecclesiae, ideoque Ecclesiarum particularium, vi muneris sui auctoritatem primatiale exercendo, ei ius/officium est in gubernium Ecclesiarum particularium se interponendi. Ut historia confirmat, exemptio institutorum est modus quo Romanus Pontifex praesens redditur in vita Ecclesiarum particularium, pro earundem bono ad fidem integram et unitatem Ecclesiae tuendam et protegendam. Qua ratione exemptio non datur tantum ut melius institutorum bono provideatur, sed ratione etiam necessitatum apostolatus (c. 591) et intuitu utilitatis communis (*LG* 45b). Hoc modo exemptio institutorum plene congruit cum natura Ecclesiae et fovere potest unitatem inter Ecclesias particulares et per eam Romanus Pontifex roborat et vindicat potestatem propriam, ordinariam et immediatam, qua in Ecclesias particulares suae curae commissas episcopi pollent (c. 333, § 1).

V. *Autonomia et exemptio in activitate apostolica*

In discussione ab auctoribus non ponitur autonomia interna institutorum, quae, iuxta differentes gradus, in Codice clare protegitur, quoad gubernium in genere (cc. 611, 1º; 612; 616, § 2; 594; 625; 693; 397, § 2; 591; 628, § 1; 630, § 3; 567), formationem sodalium et eorum instituto incorporationem (cc. 641-643; 647; 649, § 2; 650, § 1; 653; 656, 3º; 657; 658; 659, §§ 2, 3; 661), membrorum obligationes (cc. 662-671), separationem sodalium ab instituto (cc. 684, §§ 1-4; 686, § 1; 688, § 1; 690; 699, § 1; 703). E contra aliqui auctores inclinant ad considerandum iustam autonomiam de qua in c. 586 non esse etiam autonomiam externam; insuper affirmant exemptionem ut configurabatur in CIC 1917 post Concilium Vaticanum II disparere, quia nunc in novo Codice omnibus institutis iusta autonomia agnoscitur, quae est forma internae exemptionis quaeque non tangit vitam externam et activitatem apostolicam institutorum, quae in hoc ambitu, iuxta c. 678, § 1, penderent ab episcopo. Exemptio externa, qua omnes ordines et aliquae congregationes religiosae gaudebant, iam non vigeret et tantum obiectum investigationis historicae esset, dum exemptio c. 591 praevisa aliquid novum esset, ut capacitas Romano Pontifici agnita in futuro eam concedendi¹⁷. Hoc modo exemptio esset tantum institutum iuridicum abstractum, quod vere mirum est.

Uti supra vidimus, Ecclesia in sua essentia variis

¹⁷ Cf. J.C. MARTIN, *Exemptio religiosorum iuxta Concilium Vaticanum II*, Romae 1980; A. GUTIÉRREZ, *Lo stato della vita consacrata nella Chiesa*, in Aa.Vv., *Lo stato giuridico dei consacrati per la professione dei consigli evangelici* (Studi giuridici VIII), Libr. Ed. Vat. 1985, 37-63.

donis Spiritus constituitur (*LG* 7c.f.h), et variis ordinibus efformatur (*LG* 12b), ita ut communio sit organica cum structura charismatica-institutionali. De iure divino ad essentiam Ecclesiae non pertinent tantum ordo laicalis et ordo ministerii sacri, sed etiam ordo eorum qui per professionem consiliorum evangelicorum consecrantur. A Spiritu omnes tres ordines procedunt et ratione eorum originis charismaticae quisque ordo autonomia propria in vita et actuositate Ecclesiae gaudet, etsi hierarchice ordinentur et auctoritas hierarchica, quae ad ordinem ministerialem pertinet, ius et officium habeat de vita et actuositate aliorum ordinum iudicandi, ad bonum commune Ecclesiae provehendum et unitatem Ecclesiae tuendam. In eadem origine charismatica nititur potestas gubernandi, qua superiores et capitula gaudent ad patrimonium instituti protegendum et evolvendum (cc. 578; 677, § 1; 631, § 1), cuius extensio a particulari charismate instituti determinantur. Praeter haec duo fundamenta omnibus institutis communia, exemptio nititur etiam in ipso exercitio primatus Romani Pontificis, ut melius bono instituti atque apostolatus necessitatibus totius Ecclesiae, quae vere inest et operatur in Ecclesiis particularibus, provideatur (cc. 591; 369).

Quod non est detrimento activitati pastoralis in Ecclesiis particularibus et potestatem Episcoporum non minuit.

Episcopus, propter excellens donum a Spiritu receptum, in Ecclesia ei concredita est visibile principium et fundamentum unitatis (*LG* 23a), in fide, caritate et actuositate apostolica. Ut Episcopus munus suum adimpleat potestatem ordinariam propriam habet (*LG* 27a; *CD* 11b; c. 381, § 1), quam immediate exercet in omnes subditos suae dioecesis, tum clericos, tum laicos, tum membra institutorum vitae con-

secratae, salva horum ultimorum iusta vitae autonomiae, praesertim regiminis (CD 35,3 et 4; c. 586).

Cum Episcopus dioecesanus sponsor sit vitae spiritualis, liturgicae, catecheticae et pastoralis dioecesis (c. 392), munus habet discernendi authenticitatem variorum charismatum in sua Ecclesia, et ea tuendi in variis servitiis pro omnium bono exercitis (c. 605). Qua re Episcopus ministerium suum exercere debet iuxta principia unitatis fidei (c. 386, § 2) et regiminis, distributionis munerum apostolatus et officiorum (c. 394), aperti mutui auxilii et complementarietatis¹⁸. Vera cooperatio institutorum vitae consecratae cum Episcopis et fructuosa eorum insertio in activitatem pastorem dioecesis habentur tantum si instituta eorum identitatem charismaticam-apostolicam servant. Qua ratione c. 586, § 2 statuit ipsorum ordinariorum locorum esse iustam eorum institutorum autonomiam servare et tueri.

Autonomia institutorum operibus apostolatus deditis, in c. 586 sancita, esse non potest tantum interna, sed etiam externa, quia apostolica actio ad ipsam eorundem naturam pertinet et charisma exprimitur in illa actuositate modo originali et proprio exercitata. Qua re tota vita sodalium spiritu apostolico imbui debet et tota actio apostolica spiritu religioso informari (c. 675, § 1). Cum institutum se inserat in dioecesim cum sua actuositate apostolica, superiores, in suae potestatis exercitio erga activitatem externam suorum subditorum, concentum servare debent inter obligationem fundamentalem missionem atque opera propria fideliter retinendi, et necessitates pastorales

¹⁸ Cf. S. Congr. pro Episcopis, Dir. *Ecclesiae imago*, 22 febr. 1973, Typ. Pol. Vat. 1973, n. 6.

locales, quae saepe prudentes et opportunas accomodationes, in mediis tantum adhibendis requirunt, non vero in incipiendo opera vel activitates contra charisma foundationis (c. 677, § 1; *MR* 14; 17; 18). Tamen, in mediis accomodandis, instituta, clericalia et laicalia, apostolatus operibus dedita, agere non debent contra spiritum, quem fundator voluit ut maneret in operibus apostolicis exercendis modo peculiari et mediis determinatis (*PC* 8b): instituta laicalia in suae vocationis gratia fideliter permanere debent, cum per misericordiae opera spiritualia et corporalia munus pastorale Ecclesiae participant hominibusque diversissima praestent servitia (c. 676; *PC* 10a); item instituta quae ex regula vitam apostolicam intime consociant officio choralis observantiisque monasticis, ita rationem vivendi cum apostolatus sibi convenientis exigentiis componere debent, ut suam formam vitae fideliter servent utpote quae eximio Ecclesiae bono cedat (*PC* 9b). Sub luce horum statuitionum Decreti *Perfectae caritatis* legi debet *CD* 35, 1, ubi dicitur religiosos episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsecundare debere ut ampliores partes in salutis humanae ministerium suscipiant, salva instituti indole et secundum constitutiones. Idem numerus affirmat constitutiones, si necesse sit, ad hunc finem accomodandas esse; sed claris verbis etiam adiungendum est constitutiones accommodari non posse contra charisma foundationis, quia capitulum generale quod hoc faceret, ageret contra obligationem suam primam patrimonium instituti tuendi et accomodatam renovationem iuxta ipsum promovendi (c. 631; *PC* 2b).

Ex una parte oportet ut varia instituta inter se necnon cum clero saeculari cooperent ad apostolatus opera, sub moderamine episcopi, coordinanda (c.

680; *MR* 20; 21; 36-38; 46; 47; 52); ex altera, vero, parte ratio pastoralis dioecesana per institutorum librationem Spiritum extinguere nequit¹⁹. In hoc contextu prae oculis tenenda est indoles peculiaris institutorum monasticorum in genere, et eorum in particulari quae integre ad contemplationem ordinantur. Instituta monastica in genere obligatione tenentur servandi venerabile vitae monasticae institutum, quod duobus modis exprimitur: sive umbratili vita integre se divino cultui dedicando sive aliqua apostolatus vel christianae caritatis opera legitime assumendo, sed semper intra septa monasterii (*PC* 9a); quod si instituta opera, etiam necessaria pro bono pastoralis dioecesis, inciperent, quae ab observantiis monasticis averterent, hoc indoli propriae instituti aperte contradiceret (cf. *AG* 18d). Praeterea c. 674, peremptorie vetat episcopos instituta integre ad contemplationem ordinata, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, advocare ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem praestent: quod contra eorum indolem et finem esset.

Affirmato in c. 677, § 1 principio fidelitatis missioni et operibus instituti propriis, omnes religiosi cuiuslibet instituti, devoto obsequio ac reverentia, subsunt potestati episcoporum in eis quae curam animarum, exercitium publicum cultus divini et alia apostolatus opera respiciunt (c. 678, § 1). Tamen, quoad ultimum aspectum, subiectio non est exclusiva, quia etiam in apostolatu externo exercendo religiosi propriis superioribus subsunt et disciplinae instituti fideles permanere debent; immo, ipsi episcopi, si casus ferat, illam obligationem urgere debent (§ 2).

¹⁹ Cf. J. BEYER, *Carismi, Istituti religiosi e Chiese particolari*, in *Vita Consacrata* 22 (1987) 851-853.

Animadverti potest parallelismus inter hunc c. 678 et c. 586: autonomia regiminis intelligi non potest tantum relate ad internam instituti vitam, ex eo ipso quod regimen instituti apostolatus operibus dediti ad fidelem sui finis apostolici adimpletionem ordinatur. Soli superiores religiosi fidelitatem instituti missioni propriae determinare valent (c. 677, § 1), non vero episcopus diocesanus, qui, instituto externus, eius charisma et spiritum vere cognoscere non potest. Subiectio episcopo dioecesano necessario est exclusiva quoad exercitium publicum cultus divini et curam animarum, quia de iis episcopus immediatus sponsor est; sed quoad modum et spiritum quibus opera apostolatus a religiosis ducuntur, eius auctoritas exercetur tantum in casu abusuum, cum damno animarum curae, in campo liturgico, in praedicatione, in educatione morali et religiosa christifidelium, in catechetica institutione (cc. 756, § 2; 758; 764; 772; 775, § 1; 780), etc. Urgente gravissima causa, episcopus sodali instituti religiosi prohibere potest quominus in dioecesi commoretur, si eius superior maior monitus prospicere neglexerit; res tamen, iuxta c. 679, ad S. Sedem statim deferri debet, ut de ea decidat. Can. 679 est norma prudens et ad invicem componit: auctoritatem superioris religiosi, qui moneri debet; auctoritatem episcopi dioecesani, qui agere potest, si superior nihil facit; iustitiam, quia est instantia superior, quae de quaestione iudicat. Canon etiam pro institutis iuris dioecesani valet. Clare patet quod, si institutum domus habet tantum in dioecesi episcopi interponentis, episcopus religiosis vetare potest exercitium apostolatus, si superior maior providere neglexerit; sed res, etiam hoc in casu, ad S. Sedem deferri debet. Praeterea in omnibus in quibus religiosi subsunt ordinario loci, possunt ab eodem poenis coerceri (c. 1320);

tamen, sunt instituta exempta quorum sodales, propter peculiaria privilegia a Romano Pontifice concessa et numquam abrogata, ab ordinariis loci poenis coerceri non possunt²⁰.

Quoquo modo, episcopus qui religiosis imponeret modum exercendi opera apostolatus, qui esset contra instituti spiritum et methodum propriam, ut ex consilio fundatoris et charismate foundationis erui possunt, graviter abuteretur. Qua ratione, in operibus apostolatus religiosorum ordinandis episcopi dioecesani et superiores religiosi collatis consiliis procedere debent (c. 678, § 3). In casu operum religiosis ab episcopo collatorum, si ipse modum agendi religiosorum non approbat, extincta conventionem de qua in c. 681, § 2, eam non renovat.

Distinguendum est, etenim, inter instituti opera propria et ea ab episcopo dioecesano collata.

Opera propria a superioribus religiosis ad normam constitutionum plene pendent (*MR* 57a). Iuxta c. 611, 2º consensus episcopi dioecesani ad erigendam domum religiosam secumfert ius opera instituto propria exercendi ad normam iuris, salvis condicionibus in consensu appositis. Si episcopo non placent opera ab istituto exercita, consensus erectionis ab eo concedendus non est. Quia iuxta c. 678, § 3 episcopus dioecesanus et superiores religiosi collatis consiliis procedere debent, episcopus condiciones apponere potest, ut opera melius in vitam pastorem dioecesis inserantur. Relate ad has condiciones religiosi in exercendis operibus propriis etiam potestati episcopi dioecesani subsunt (§ 1).

²⁰ Societas Iesu hoc a Iulio III obtinuit in ipsa Bulla fundationis *Exposcit debitum*, 21 iul. 1550, quae revocari vel mutari potest tantum per aliam bullam pontificiam.

Opera, e contra, quae ab episcopo dioecesano religiosis committuntur, eiusdem episcopi auctoritati et directioni subsunt, sed etiam hoc in casu modo non exclusivo, quia in apostolatu externo exercendo, etiam in his operibus non propriis, religiosi propriis quoque superioribus subsunt et disciplinae instituti fideles permanere debent (c. 678, § 2). Religiosi, igitur, in exercendis quoque operibus non propriis liberi manere debent hoc faciendi secundum proprium spiritum et methodum, et semper a propria communitate et a legitimis superioribus dependentes. Qua ratione mutua consilia de quibus in c. 678, § 3 non sufficiunt, sed requiritur ut ineatur conventio scripta inter episcopum dioecesanum et superiores instituti, qua, inter alia, expresse et accurate definiantur quae ad opus explendum, ad sodales eidem addicendos et ad res oeconomicas spectent. In conventionem bonum esset etiam statuere tempus per quod opera conferuntur, ut, transacto tempore, episcopus sit liber ea aliis committere, et institutum ea relinquere, praesertim si cum charismate et fine instituti plene non congruant.

Can. 683, § 1 affirmat ecclesias et oratoria, quibus christifideles habitualiter accedunt, scholas aliaque opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis religiosi commissi, episcopum dioecesanum visitare posse, sive per se sive per alium, tempore visitationis pastoralis et etiam in casu necessitatis. Duo notanda sunt: a) c. 683, § 1 expressis verbis excludit domos formationis, id est scholas quae exclusive pateant propriis instituti alumni; quoad alias scholas, enim, in suo territorio sitas episcopo dioecesano competit ius eas invigilandi et invisendi, praescripta edendi, salva tamen quoad internum earum moderamen autonomia (c. 806, § 1); b) alia

opera religionis vel caritatis ab episcopo commissae esse debent. Tamen, quoad opera ab episcopo commissae clare distinguendum est inter varia instituta:

— si agatur de instituto iuris dioecesanii, visitatio comprehendit etiam domum religiosam operi commissae adnexam, et opera propria instituti (cc. 397, § 1; 628, § 2, 2^o);

— quoad institutum iuris pontificii, visitatio comprehendere non potest neque domum religiosam operi adnexam, neque opera propria instituti, neque eiusdem membra, quia, iuxta c. 397, § 1, qui ad determinationes iuris remittit, casus de quo tractamus in c. 683, § 1 expressis verbis praevideri deberet;

— in casu instituti exempti, quod ab episcopi iurisdictione subtrahitur (c. 591), deficientibus determinationibus in aliis canonibus, episcopus dioecesanus nullo casu domum religiosam et membra instituti visitare potest, sed tantum opera commissae qua talia, et de activitate in eis a religiosis exercita inquirere.

Quod si abusus diprehenderit, frustra superiore religioso monito, propria auctoritate episcopus per se providere potest (c. 683, § 2). Tamen, si actio episcopi illegitima aestimaretur, superior religiosus recursum ad S. Sedem interponere posset.

Quoad collationem officii, episcopus dioecesanus religiosum nominat, praesentante vel saltem assentiente competenti superiore (c. 682, § 1; *MR* 58). Si agatur de praesentatione cc. 158-163 applicandi sunt; si requiratur consensus superioris, propter ipsam naturam religiosorum superioribus subiectionis, ad validitatem collationis considerandus est; in casu collationis officii parochi, ratio habenda est c. 520, ubi requiritur consensus superioris religiosi competentis ut episcopus paroeciam instituto religioso clericali committat. Remotio, autem, ab officio commissio fieri

potest ad nutum sive episcopi, monito superiore religioso, sive superioris, monito episcopo, non requisito alterius consensu (c. 682, § 2). Quae praevia monitio requiritur, tum ratione reverentiae erga alteram auctoritatem in remotione implicatam, tum ut causae quae ad remotionem inducunt melius clarificentur. Auctoritas monita remotionem impedire nequit, quia non agitur de consensu; potest, tamen, recurrere ad S. Sedem (*ES* I, 32; cc. 1732-1739). Iure recurrendi gaudet etiam religiosus remotus²¹.

Etsi Concilium et documenta subsequents, quoad activitatem apostolicam exemptioni religiosorum limites imponant (*CD* 35,3 et 4; *ES* I, 22-40; *MR* 44), dicendum est ipsum Concilium et alia documenta exemptionem non coercere intra ordinem institutorum tantum internum. *CD* 35, 3, enim, ad litteram a *MR* 22b sumptus, affirmat exemptionem ordinem institutorum internum *potissimum* respicere et non modo exclusivo; *MR* 22 c.d.e., se referens ad *PC* 2b, exemptionem considerat in arcta connexione cum operositate apostolica institutorum. Quod agnosci debet, in quantum natura et indoles propria instituti exempti operibus apostolatus dediti, in his exercendis vere actuantur (*PC* 8a). Quod exprimitur c. 591, qui affirmat exemptionem concedi ut melius bono atque apostolatus necessitatibus provideatur, intuitu utilitatis communis, et diutissima traditione historica confirmatur. Exemptio, enim, initio a Romanis Pontificibus concessa est ut protectio bonorum monasteriorum contra arrogantiam episcoporum, postea ut participatio sollicitudinis pastoralis et potestatis Romani Pontificis in adimplenda missione apostolica, praesertim

²¹ Cf. D. ANDRÉS, *El derecho de los religiosos*, Fuenlabrada 1893, 558-560.

temporibus schismatum et haeresium, ut unitas fidei protegatur et restauretur.

VI. *Conclusiones*

Ut bene intelligamus naturam et ambitum iustae autonomiae omnium institutorum religiosorum et exemptionis aliquorum ex iisdem, relinquere debemus visionem reductivam Ecclesiae (minime congruentem cum doctrina Vaticani II) iuxta quam Ecclesiae essentia ordine laicatus et ordine ministrorum sacrorum tantum definitur, necnon eius vita ac apostolica actuositas tantum ordine ministerii sacri determinantur.

Cum doctrina Vaticani II plene concors etiam non esset exaggerata consideratio Ecclesiae particularis et muneris ordinarii loci, cum minutione momenti Ecclesiae universalis et muneris Romani Pontificis, quod esset in detrimentum ipsius vitae Ecclesiarum particularium.

Iusta autonomia interna et externa omnium institutorum est eorum ius nativum, quod fluit ex ipsa essentia Ecclesiae, quae structuram charismaticam-institutionalem habet, ad quam vita consecrata iure divino spectat. Exemptio interna et externa est forma maxima autonomiae a Romano Pontifice concessa, quae mutatur iuxta varia instituta exempta. Exercitium iuris autonomiae et exemptionis possibile redditur propter potestatem ecclesialem in institutis exercitatum, quae a Deo per ministerium Ecclesiae a superioribus et capitulis recipitur; quae in omnibus est potestas publica eiusdem naturae potestatis regiminis ecclesiasticae technice appellatae, qua vero gradu differenti instituta clericalia iuris pontificii et instituta exempta fruuntur.

Autonomia «iusta» appellatur duplici sensu: a) in relatione ad ipsam originem autonomiae institutorum, quae ex eorum natura charismatica fluit; b) in relatione ad auctoritatem hierarchicam, quia instituta semper agunt nomine et mandato Ecclesiae, ideoque semper in eius communione, quae exprimitur obsequio ac reverentia erga legitimos pastores.

In his elementis fundari potest vera et fructuosa cooperatio inter instituta religiosa et episcopos in activitate apostolica pro bono Ecclesiarum particularium peragenda. Instituta, enim, religiosa in genere, et illa exempta in specie, multum prodesse possunt unitati Ecclesiae, ideoque communioni inter omnes Ecclesias, qua Ecclesia universa constituitur.

Denique notandum est dicta de iusta autonomia deque exemptione institutorum religiosorum, etiam de institutis saecularibus atque de societatibus vitae apostolicae, mutatis mutandis, valere. Quoad instituta saecularia, minime ponitur problema de autonomia vel de exemptione externa, quia opera apostolatus propria per se non habent.

GIANFRANCO GHIRLANDA S.J.